

Z a
140





QR. 524, 66.

B. m.

Za
140

D O M S
ET AETERNAE MEMORIAE
VIRI
GENEROSI DOCTISSIMI QVE
**MICHAELIS GOTTLIEB
AGNETHLER**

NOBILIS TRANSILV' PATRIC' CIBIN
PHILOS' ET MEDIC' DOCTORIS
ELOQVENTIAE LATINAE ANTIQVITATVM
ATQVE POES' PROF' PVBL' ORDINARI
ACAD' IMPER' NAT' CVRIOS
SODALIS

QVI
ANTE DIEM XV IANVAR' A' I' S' MDCCLII
PIENTISIME OBDORMIUIT

†
A C A D E M I A
I V L I A C A R O L I N A
DESIDERATIS' CARO DOCTORI
S V O
H M F C

A V C T
IOH' BENEDICT' CARPZOVIO
DOCT' ET PROF' THEOLOGO AC SVI
ORDINIS H' T' DECANO




1777

DE ALTE...
CONSTITUTION...
HERRN...
ACHT...
HERRN...
HERRN...
HERRN...
HERRN...
HERRN...
HERRN...

HERRN...
HERRN...

HERRN...
HERRN...

HERRN...
HERRN...





Agnethlers Auge bricht. O Schreckensvolle Zeit!
 Ihn reißt ein früher Fall ins Land der Ewigkeit.
 Agnethlers Auge bricht! ein Schmerz dringt in die
 Glieder,
 Er sinket in die Gruft und wir vor Wehmuth nieder.
 Den, so das Schicksal kaum nach unsern Gränzen
 führt,

Wo Ihn ein neues Glück mit holden Stralen ziert,
 Den höret man bestürzt auf Seinem Lager stöhnen.
 Er sinkt, Er fällt, Er stirbt. Ihr Mussen! opfert Thränen.

Mein Geist wirft einen Blick nach jenem Vaterland,
 Wo dieser Theure Mann sein erstes Leben fand,
 Ich höre schon die Post nach Siebenbürgen dringen.
 Ich seh die Schwestern dort die blassen Hände ringen.
 Man bricht den Trauerbrief, der diese Nachricht giebt,
 Der Freund! der Freund ist todt! den Eure Seele liebt,
 Sie zittern. Odt! ach Odt! Ihr Schmerz ist nicht zu schätzen,
 Sie weinen. Jedes Wort muß eine Trähne nezzen.

Lehret

Wie kurz, wie flüchtig ist der Menschen bange Zeit?
Wenn man zu leben glaubt, so ist der Tod nicht weit.
Oft wird uns auf der Welt ein Glück zugewendet,
Doch ist es nur ein Licht, das unsre Augen blendet,
Ein Schatten, der sehr oft vor seinem Körper flieht,
Ein Rauch, der sich zerstreut, so bald er aufwärts zieht,
Ein Schif, das immerhin auf schwachen Wellen schwebet,
Bald steigt, bald niederfällt, sich in dem Schlund begräbet.

Lehrt diese Wahrheit nicht Agnehtlers Lebenslauf?
Ein glückliches Gestirn gieng Seinen Augen auf.
Man sah es schon vergnügt in diesen Mauern funkeln,
Allein die Todes-Nacht must Dessen Glanz verdunkeln.
Kaum trat Sein schneller Fuß in diese Thoren ein,
So überfiel Ihn auch der Krankheit schwere Pein,
Man konte schon den Tod aus Seinen Augen lesen,
Er fällt, indem Er steigt, Er kommt und ist gewesen.

Drum nimm, Erblasser Mann! mein letztes Opfer hin,
Ich weis, Entschlafnes Zaapt! was ich Dir schuldig bin.
Den Staub in Deiner Gruft, wird Gottes Hauch beleben,
Wenn die Posaune klingt, wovon die Gräber beben.
Es kommt Dein Bildnis mir nie aus dem Angesicht,
Weil meine Seele stets mit Deinem Schatten spricht
Ich werde mich im Geist bei Deiner Grube setzen
Und Deinen Aschen-Krug verehrens-würdig schätzen.

Mit diesen traurigen Gedanken wollte
dem feligen Herrn Professor den letz-
ten Zoll der Schuldigkeit abtragen

Andreas Hinzl
aus Herrmannstadt in Siebenbürgen
der G. G. West.



Labitur exfanguis, dignus qui luce perenni,

Labitur AGNETHLER! Flens mea musa fedet.

Pierides! calamum lacrymarum tingite guttis

Atque pia carmen texite mente sacrum.

Fundere nunc fletus, verbis vulgare dolores

Fas iubet et pietas et sine labe fides.

Viuimus orbatu nostro Doctore perito

Quem tenebris tumulat nox diuturna suis.

Labitur AGNETHLER, cui vix docuisse placebat

In cathedra iuuenum dogmata grata choros

Labitur AGNETHLER, quem fert vaga fama per orbem

Et qui doctorum viuit in ore frequens.

Labitur, attonitis nobis sua lumina claudit,

Pressa dolore sonat vox lacrymaeque fluunt

Labitur eximius purae pietatis amicus

Exemplar vnae mirificumque decus.

Labitur ille aliis praelucens lampadis instar,

Virtutis radiis perditur ipse suis.

Heu mihi tristitiae animus contunditur aeger

Atque dolor iustus fletibus ora rigat.

Vna dies, aduersa dies fastisque neganda

Quae bona tot potuit tollere moesta dies?

Attamen in altis subito quid lumina mulect?

AGNETHLER viuit, spectat ab axe poli.

Labitur ille quidem sed lapsu ad fidera tendit

Idcirco madidas pollice fisco genas.

Haec pauca in sempiternam Beate Defuncti

memoriam adiiicere voluit

MATTHIAS PILDER

Zabeso Transiluanus

S.S.Th.Cult.



DE
VITA ET SCRIPTIS
D. MICHAELIS GOTTLIEB
AGNETHLER P.P.



ISVS est, aut illudunt nos sensus, appa-
ruisse, quemcumque eum dici ius fas-
que sit, (dicerent *Sermonem* mortales
prisci,) Nobilis Transilvanus AGNETH-
LERIO sanguine, Cibiniensis Patricius.
Huius comae, Apollinis lauro circum-
datae: osque et humeri odore suauissi-
mo ac diuino erant: et Gratiae nomen Eius in Helicone,
et in *Elmi* nemoris recinebant sacrario

HVIVS, fallimur, aut indigni eramus speciem intur-
eri, quia artes, vitio nostrorum inglorias et mutas, queis
nec religio tamen, nec ipsa carere humanitas potest, affe-
rebat: aut placebat Numinis sapientiae, famem illius am-
brobiae acerbiores apud nostrates concitare

AVT videtur Vir humanissimus, ac stirpe, nomine,
et cultu selectus, eum huc in finem aduolasse, vt nos SO-
CRATIS instituta, qui philosophorum vitam *mortis* esse
commentationem disputauerat, a) doceret; et inter hanc
seriam

A 2

a) Accommodabimus enim ad no- strum institutum, quod *Socrates*

III

seriam meditationem, suum Ipse animum diuinum a corpore abduxit

GRATVLABANTVR certe exteri sapientiores, qui literas haut contempnunt elegantes et intimas; gratulabantur nobis de sidere tali, quale in non multis, vt hodie sunt tempora, ciuitatibus exsplendescit, et expectabant futurum, vt tenebris atque caligine apud nos discussa, artes florere et in numero esse inciperent humanitatis, historia antiqua, et eloquentia latina, non illa maculosa ac turgida hominum ventosorum, quae loquacium animos tamquam pestilenti quodam sidere afflat; poëtice item, sed coloris sani, non illa verruculosae infanientisque sapientiae; vno verbo, eruditio omnis, non sophistica, non *Anaxagoreae*, b) sed de luto, *homoeomeriae*

APPLAUDEBANT etiam suae felicitati cum omnis haec ciuitas, tum inprimis Iulia Carolina, praecipue propter id, quod in eodem Viro, literarum in posterum instauratore, custodem pariter sanitatis, et valetudinum pessimarum propulsatorem, venerabantur. Laetabantur enim, a grauius quamuis decumbente salutem esse restitutam nonnullis depositis, et tantum virum ΠΟΛΙΟΤΕΧΟΝ ΚΑΙ ΩΤΗΡΑ, OPPIDI SERVATOREM, c) nuncupa-

smorturus apud PLATONEM disputabat, nimirum eos, qui recte philosophentur, nihil aliud quam mortem meditari, et viuentes morti aduescere. Οὐδὲν ἄλλο, (ita ait in *Phaedone*, p. 378 C.) ἐπιτηδεύουσιν, ἢ ἀποθνήσκουσιν τε καὶ τεθνῶσιν. Haec verba CICERO et alii repetierunt. Ille, Tu-

scul. Disput. Lib. I, Cap. 30: Tota enim philosophorum vita, vt ait PLATO, commentatio mortis est. Reliqui, a IOH. DAVISIO, ad CICERONIS locum laudati sunt b) Conf. DIOGEN. LAERT. Lib. II, *segm. 8* c) Memorabili cognomine, Dii quidam vocantur Σωτῆρες καὶ Πολιτέχον,

V
cupabant. Crederes, si antiqua apud plebeculam super-
stitio remaneret, eam hodie existimare, Plutonem esse a-
pud Iouem conquestum, suum sibi centum imminui, et
inde obtinuisset, ut Iupiter ictu fulminis AGNETHLE-
RVM exanimaret.

PRAETER haec, Ipse mitis et φιλανθρωπότατος erat.
Nouerat, tale elogium AESCVLAPIO et HYGEAE, me-
dicinae praesidibus, dari in monumentis: d) et SCRIBO-
NII LARGI placitum, qui monuerat inuidientiae malum
praecipue medicis esse inuisum oportere, e) in oculis fere-
bat. Hunc suauem, et mansuetioribus Musis amabilem
Virum, nollemus detrimentum sibi intulisse intemperie

A 3 studio-

in Numis et Inscriptionibus anti-
quis. Docente EZECH. SPAN-
HEMIO, Tom. I de Vsu et Praest.
Num. p. 417, in Numis Niceensi-
um et Coorum Aesculapius, ΣΩ-
ΤΗΡ, et idem a IULIANO, Orat.
III, p. 153, Ο ΣΩΤΗΡ ΤΩΝ Ο-
ΛΩΝ appellatur. Alibi occurrunt
Σωτήρια Ἀσκληπεία, sollemnes lu-
di, honori Aesculapii dicati. Vu-
de ipsi Medici, Σωτήρες dicti: vt
apud ARISTAENETVM, Lib.
I, Epist. 13, Panacium Medicum
Σωτήρα τὸν ἕνδρα προσέειπον, Seruato-
rem virum vocarunt. In antiqua
Inscriptione apud IAN. GRV-
TER, fol. LXVIII, 5 legitur: ΑΣ-
ΚΛΗΠΙΩ ΚΑΙ ΤΗΕΙΑ. ΣΩΤΗΡ-
ΣΙΝ. ΠΟΛΙΟΤΟΙΣ. Cognomi-
ne Πολίετος, Iupiter apud PLA-
TONEM, Lib. de Legib. p. 612 A,
nec non Pallas apud ARISTO-

PHANEM, Equit. vers. 311, ve-
niunt. In alio lapide apud eum-
dem GRVTER, fol. MLXVII, 7
scribitur ΑΘΗΝΑΙΑ ΠΟΜΙΑΣ

d) Talem Inscriptionem Graecam
refert monumentum, e ruinis
Vlpiae Traianae effictum, et in
Curia vici S. Mariae, districtus
Azakiensis, in Transluania asser-
uatum: ΑΣΚΛΗΠΙΩ ΚΑΙ ΤΗΕΙΑ.
ΘΕΟΙΣ. ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΟΙΣ, et cet.
Reperitur Tabula aenea in A-
LOYS. FERD. MARSIGLII Da-
nubio Pannon. Mysico: eleganter
explicata a CHRISTI. GOTTL.
SCHVVARZIO, Diss. de Aescula-
pio et Hygea Diis φιλανθρωπότατος, Al-
torffii, An. 1725

e) SCRIBONIVS LARGVS, Lib.
de Compos. Medicam. ad C. Iul.
Callistum, (Opp. Ver. Medicor.
Henr. Steph.) p. 195: Mahum in-

studiorum et vigilantia nimia, nec dememinisse illius symboli, quod in veteribus numis adumbratum, aliquoties Ipse delineauerat: ΣΙΗΕΥΔΕ ΒΡΑΔΕΩΣ *f*). A pueritia enim inde, vsque ad hanc, qua ereptus est literis, iuuentutem, calcaribus, numquam freno, opus habuit, stemmataque intuens gentilitia imaginem expressit illius MAN-
LII *Torquati*, *g*) equestria portantis spolia ex hoste caeso, *vt me omnes*, (sic ait,) *Pater, tuo sanguine ortum ferrent*

EX qua virium contentione, indefessaque laborum pertinacia euenit, vt aliquoties diuturno eoque graui vexatus morbo, et in discrimen vitae adductus, vires autem sensim ita debilitatae ac prostratae essent, vt anno superiori, quum ad spartam eximie decorandam huc aduenisset, fractus ruffi et hectica mala, nullam vel Ipse spem aleret conualescendi, rei euentum Deo permitteret

HUIUS memoriam Viri, quem quidem nec literae, nec Musae interire patientur, etiam nos, agite, atque hac tabula votiuam, dum solidiore non possumus monumento, conseruemus, et, quae domestica maiorum exempla habuit,

uidentiae, ait, cum omnibus animantibus inuisum esse debet, tum praecipue Medicis, in quibus, nisi
PLENVS MISERICORDIAE ET HVMANITATIS ANIMVS est, secundum ipsius Professionis voluntatem, omnibus Diis et hominibus inuisum esse debent

f) In Numo argenteo familiae Durmiae, aduersa parte, CAESARIS AVGVSTI effigies; auersa, Pa-

gurus representatur, papilionem volantem acetabulis comprehedens. Hoc symbolo adumbrari putant *Augusti* dictum, penes SVETON. *Cap. 25: Σηεὺδε Βραδεωσ*.
EX FVLVIO VRSINO, IOH. VAILLANT, atque aliis, repetiit, ac figuram apposuit MICH. GOTTL. AGNETHLER, *Nymph. Schulz. (Latin.) p. 143*
g) Historiam enarrat LIVIVS *Lib. VII, Cap. 10*

buit, tum quae praesidia ad virtutem, ac bene merendi de hac Iulia Carolina *facultatem*, exponamus

CLARVM fane est nomen in Transilvania, AGNETHLERIVM, insignibusque olim et meritis et imaginibus fulgens: tanto etiam magis dignum vt generis honores ac dignitates literis commendemus, quo acerbius dolendum, hodie profapiam masculam, *h)* extincto hoc nostrate Viro generoso, desiisse. Floruit in hac gente, sub principium saeculi superioris, MICHAEL AGNETHLERVS, vir amplissimus atque spectabilis, Nostri atavus. Hic Oratoris munus in Ottomania aula, quo tempore isti aulae infeliciter parebat Dacia, *i)* obierat: deinceps, consentientibus reipublicae suffragiis, creatus est Consul prouincialis Cibiniensis: tandem, ad eminentem Comitum Saxonicae nationis dignitatem euectus. Proatus fuit, MARTINVS AGNETHLERVS: qui, quum inciperet prouincialis Notarius bene mereri de patria, celeri fato, honoribus, qui virum magnae perspicientiae expectabant, amplioribus, ereptus est. Auum habuit, pium et laudandum theologum, MICHAELEM AGNETHLER, Omlaschiensis ecclesiae, ditione Cibiniensi, Praesulem. Deni-

h) Sororum B. AGNETHLERI, feminarum recti exempli, nomina adscribere iussi sumus. ANNA MARIA, Viri quondam Pl. Reu. IOHANNIS ISGENII, V.D.M. in vico Hundertbühlen, vidua: ROSINA CHRISTINA, Viri honesti, PETRI SCHIMMERTS, Senatoris Cibiniensis et collegii

musicorum Directoris, coniux: ANNA CATHARINA, Viri admodum Reu. PETRI MOGESCH, Diaconi matutini Ecclesiae cathedralis eadem metropoli, vxor
i) Parebat tum Transilvania Ottomanicae aulae, ab anno inde MDCXXXVIII vsque ad annum XXXVIII

VIII

Denique Patrem coluit, reuerendum et eruditum virum, DANIELEM AGNETHLER, Rectorem Cibiniensis gymnasii, post haec ecclesiae Gerhardiensis ad ripas Alutae Pastorem; ab OLEARIIS VVEISSIS que, theologis meae patriae praestantibus, in deliciis habitum

SERVATVR etiam operi annalium in hac gente, praeter alia decora, ornamentum illustre, IOHANNES RHENERVS, Regius Iudex ditionis Saxonicae Leschkirchenfis, supremusque bonorum Fiscalium administrator in Transilvania: qui factus est, (post decessum MARTINI VVEISSII, ciuitatis Mediensis Regii Iudicis,) vitricus secundus MICHAELIS AGNETHLERI, Saxonicae nationis Comitibus, illius quem atauum Nostratis fuisse paullo ante relatum est. Huius strenui atque fortis viri magna merita in rempublicam, praecipue quod militi praetoriano in expeditione Transilvaniae victu et annona prospexerat, remuneravit equestri dignitate ac Nobilitate FERDINANDVS II, Caesar Augustus, et idem Rex Hungariae gloriosus. Atque huic ipsi IOHANNI RHENERO, qui, amore ductus, in priuignum et reliquam eius posteritatem, deriuauerat nobilitatem partam, vniuersa AGNETHLERORVM familia debet ἀξίωμα equestre, et generosae gentis insignia

NEQUE laude sua fraudandae sunt maternae imagines et cerei FABRICIORVM vultus, quibus ANNA MARIA, non vltima clarae stirpis pars, mater Nostrae, exornauit gentilitium atrium. Huius FABRICIAE parens, MICHAEL FABRICIVS, elogio Senioris conscriptus fuit in ordine Patrum Cibiniensium, prudentia, fide, et integritate complures per annos spectatus. Auus autem,

PETRVS

PETRVS FABRICIVS, pastoratu ecclesiae *Insulae Christianae*, distantis altero lapide a Cibinio ad fluvii ripas, ac munere decanatus collegii Canonicoꝝ metropoleos, innotuit, munia cum laude ac publico emolumento administravit

HOC sanguine, his maioribus, continuata serie inclutis, ortus est MICHAEL GOTTLIEB AGNETHLERVS: Cibinii, quod caput est Transilvaniae, ante decimum Iulii, vndeicesimo anno huius saeculi, in lucem editus. Parentes praemature subtracti obitu, genitor DANIEL AGNETHLERVS puerum annorum quindecim, mater ANNA MARIA FABRICIA vix supergressum annos vndeiginti, reliquerunt

TAMEN, eorum sollicitudini in acceptis tulit, vt pietate, vt moribus rectis, et iis literis institutus esset, quibus tenera aetas subigitur. Mox indole atque industria excitatus, comparatis sibi ingenii ac linguae opibus cumulatoribus, nihil segne, nihil languidum reipublicae promisit: quin perantiquae stirpis sustinens expectationem, ad paternae avitaeque fastigium gloriae, quanto potuit conatu, properavit. Decessu parentum, tantum abest, vt deiectus fuerit de animo pristino, stadioue, quod sibi ad emeriendum prospexitauerat, interceptus, vt contentiori potius cursu, ad absoluendum missum, ad metas suo tempore attingendas, effunderetur

OPERAM dederat per aliquot annos eximiis praeceptoribus, GEORGIO SOTERIO, A. M. nec non MICHAELI ZIEGLERO, Pastoribus hodie, illi Stolzenburgensi, huic Kerzensi, Graecaeque cum Latina sapientia coniunxerat literas, quum prodiret, ampliora vt faceret

B

spacia,

spatia, in gymnasium Cibiniense. Ibi, haud facile est commemoratu, qualem se exhibuerit, quam intentius exceperit professorum monitiones, quanta existimationis cupiditate, quanto legendi et scribendi desiderio flagarit. Testis est huius assiduitatis CHRISTIANVS ZIEGLERVS, vir sedula dexteritate conspicuus, florentis gymnasii eo tempore Rector, hodie Schelenbergensis ecclesiae parochus. Huius magistri elegantem disciplinam iuuenis diligenter sectatus est, et siue is praelegeret publice, siue commentaretur, illum sedulo auscultauit; quae didicerat, exercitatione et consuetudine confirmauit. Inter haec, munia reportauit gymnasii, singularibus titulis insignia, nec dissimilia (quod mihi videtur,) pineis, oleagineisue, in ludis Graeciae, coronis, in quibus potius virtus et gloriatio, quam lucrum ac praemii granditas, *k*) respicitur. Nam, in ordine *Togatorum* delectus; paucis post annis, quia recte fecerat, *Adolescentium Rex* nuncupatus; tandem, vnanima consensione, munere *Oratoris Studiosorum*, (id pronectorum ibi encomium habetur,) exornatus est. Denique ante hos decem annos, secundo et quadragesimo saeculi, animo, doctri-

k) Hanc sententiam, Solon, aduersus *Anacharsidem* defendit, apud LVCIANVM, de *Gymnas.* Opp. Tom. II, p. 273. Rident enim tam exigua praemia, respondet: ἄλλ', ὦ ἄριστε, κινῆς ἐστὶν ἡ δὲ διδομένη ἡ δὲ ἀποδομένη. Ταῦτα μὲν γὰρ ἐστὶν ἀμείβη τῆς ἡλικίας, καὶ πρᾶξις αὐτῆς, οἷον οἱ ἀγαθὸν ἔχοντες. Atqui, o optime, non ad tenuia dona respicimus. Et-

enim haec signa sunt victoriae, et indicia quibus victores cognoscuntur. Similiter Romani, potius verbis, rebusque non suo pretio metiendis, solebant milites bene meritos donare, ut intelligeretur, solum honorem, non diuitias, virtutis praemium esse. Adi CICERON. Orat. Phillip. V, 13-17

Erina, literis confirmatus, longa ac perdifficili profectio-
ne confecta, in Fridericianam quae propter Salam est,
intrauit

EGREGIE vero, id euentus docuit, praeparatus,
et literis interioribus subactus, academicas exercitatio-
nes inchoauit. Cuius beneficij gratas merentur laudes
praeceptores Cibinienses, viri seduli in omni studiorum
parte, inprimis in consilio emendandae orationis defixi.
Secus omnino longe, ac nonnumquam fieri solet. Nam
magistri quidam in nonnullis scholis, dum iaciunt in
grammaticos dicteria, quia stupent ad veterum auctores,
linguam, historias, ritus, id vnice agunt, vt quasi au-
cupes formularum, dialecticam sapientipotentem decan-
tent, cum dialectica incipiant, cum dialectica desinant,
et aliquod offilegium basilissae scientiarum, (nimirum,
vt pueros adhuc nascentes sensim *realibus*, si diis placet,
altioribus assuefaciant,) ea etiam, demonstrent, dialecto,
quae apud falsamentarios obtineat. Hos pingues homi-
nes, tribus Anticyris insanabiles, dura mansissent fata ab
AGNETHLERO, professore grammatico. Nam vindici-
as dedisset secundum libertatem relictis studiis, ac dicendi
facundia impetrasset, vt magistratus primoresque ciuita-
tum in posterum scholis praeficerent non philosophos pu-
ros putos, sed eiusmodi, qui Graece et Latine intelligen-
tiores, veteres scriptores et antiquitates explanarent, ho-
nestatisque sensum ita alerent, vt se omnibus placabiles,
faciles, aequos, efficerent

IGITUR ingressus academiam ad salinas, confestim
morbo difficili, ex itinere tot stadiorum contracto, ten-
tatus est. Hac tempestate se applicauerant populares

Hungariae Daciaeque, qui ibi literis nauandis diuerfabantur, ad illum medicum ac philologum nobilem, IOHAN-
NEM HENRICVM SCHVLZIVM, cuius et praelectio-
nibus inhiabant, et morbis autem affecti consilio atque cu-
ra utebantur. Haec popularium (vt fit,) exempla, et-
iam Nostratem impulerunt, iisdem tendere vestigiis ad
medicum adeo doctum, adeo vsus longi, ipsa necessitate
non aliter postulante. Atque vt remedia auspicius prod-
essent, domicilio commutato, in ipsis aedibus medici,
quasi in Epidaurio *Aesculapii* fano, 1) incubauit. In-
de factum est prospero euentu, vt aegrotus, ferme nul-
lius spei, tandem denuo conualuerit. Ab eo tempore,
in consuetudine hospitis, et prope familiaritate, literas
humaniores, antiquitates, et numismaticam praesertim
scientiam, excoluit. Mathesin, (qua *pura* nominatur,) a
IOHANNE GOTTLÖB KRÜGERO, quem infra lauda-
bimus; philosophias, et historiam omnem, praecipue
patriam, didicit, a ciue suo MARTINO SCHMEIZE-
LIO, Corona Transilvano, gestarum rerum et iuris pu-
blici indagatore assiduo. Denique, diuiniorem sapienti-
am, cui se plane tradiderat per annos quatuor, sollicitè
et cogitate tractauit, praeuentibus doctissimis et clari no-
minis theologis, CHRISTIANO BENEDICTO MICHA-
ELIS,

1) De Epidaurio *Aesculapii* fano, prae omnibus claro incubatione, exponit STRABO, *Lib. VIII ed. Ameloueu p. 535.* PAVSANIAS, *Lib. II, c. 36, p. 196,* nec non PLAVTVS, *Curcul. I, sc. 1, vs. 61 seq.* item II, *sc. 1, vs. 1 seq.* Conf. HERM. CONRINGII Ex-

ercit. de Incubatione in sanis Deorum, medicinae causa olim facta; et inprimis Excellentiss. Professoris medici, CAR. FRID. HUNDERTMARKLI, librum pereruditum, *de Increm. art. Med. per expos. aegr. in vias et templa, Sect. II, §. 2, p. 28 seq.*

ELIS, et SIGISMUNDO IACOBO BAVMGARTENIO, a quibus intelligentia linguarum et literarum sacrarum haut leuiter profecit

INTEREA ipse IOHANNES HENRICVS SCHVLZIYS acri et tenace conflctatus est morbo. Quo ingrauescente, AGNETHLERVS dedit pietatis exemplum, dum per aliquot menses multa nocte ac die non reliquerit patronum, et omnes eo vires intenderit, vt gratus, beneficiorum memor, cognosceretur, talemque se gesserit, vt aegrotus non pauca per discipulum disponi mandaret, et in complexu carissimi animam Seruatori Deo redderet

POST huius excessum, quanta fide, quanta dextertate mandata confecerit, satis extolli non potest. Primum enim labores sustinuit scribendi *Indicis Bibliothecae ipsius*, et eam sibi occupationem *ψυχῆς ἰατρείον, animae quasi medicatorium*, esse voluit. Deinde numismata viri, vsu quotidiano e scriniis prolapsa, non tantum areolis et ordinibus suis restituit, sed etiam commentario, eruditione vasta innumerisque frugis optimae obseruationibus stipato, illustrauit, atque obtinuit pertinaci industria, vt anno sexto et quadragesimo, *Numophylacii Schulziani pars prior*, latina lingua, m) cum selectioribus clarorum virorum ad possessorem epistolis, prodiret

B 3

MA.

m) Complectitur haec pars prior, descriptionem Numorum Graecorum et Romanorum. Graeci, secundum nobilitatem metalli sunt dispositi. Romani, continent numos familiarum,

nec non seriem numorum Consularium. Non vltimum locum in hoc opere tenet, quod numismatibus singulis suum pretium statutum, idque MORELLI et aliorum aestimatione munitum est

MAGNUM huic operi impendit studium, multas vigilias, multas curas. Nam quidquid in publicis, quidquid ei in priuatis inferuire bibliothecis poterat, sollicitissime conquisiuit. Immo Lipsiam in vicinia contendit, omnibus libris et antiquis numis abundantem. Commoratus autem Lipsiae, quo nobilius operi ornamentum conciliaret, nullis sumptibus, nullis facile laboribus pepercit. Praecipue, indulgentia Viri quo nihil simile aut secundum viget, IOHANNIS IACOBI MASCOVII, Sarmatiae Regi a consiliis curiae aulicae, et Proconsulis, impetrauit, vt ex thesauro magnifici Senatus, omnibus terris celebrato, numos, chartas, adminicula hauserit, non alibi reperiunda. Nec defuit ipsius commodis IOHANNES GEORGIUS VVACHTERVS, archaeologiae numariae scriptor, multos inde per annos in eo occupatus, vt numophylacium splendidissimi Senatus literis reconditioribus illustret, elegantisque doctrinae apparatu exornet. Tandem non contemnenda se debere est fassus beneuolentiae IOHANNIS GOTHOFREDI RICHTERI, Poloniarum Regis Consilarii aulae ac iustitiae, et numophylacio Principis Heredis in aula Dresenensi Praefecti. Is eleganti doctrina politissimus Vir, n) cuius honorifica con-

n) Pulcherrima sunt scripta, quibus sibi deuinxit eruditum orbem Vir illustris. I. Dissert. de *Lege Visellia*. An. 1736. II. Diss. de *Tabulariis Urbis Romae*. An. 1736. III. *Esquissus Inscriptionis antiquae, in agro Augustano repperitae, ad Virum Illustris IAC. HENRIC. BORN*. An. 1739. III.

Noua numi in colonia Karthagine Africana percussi, quem illustrare conatus est Claviss. MARVDEL, explicatio. An. 1742. V. Dissert. Inaugur. de *Moribus Maiorum, tamquam antiquissimo Romani iuris fonte*. An. 1744. Ampliss. RICHTERI merita de nostro *Agnethlero*, laudantur in

consuetudine atque amicitia fruebar etiam ipse quidem, quoad illic eram, et huius beneficii recordor cum grato sensu, is splendidum illustrissimi SCHMETTAVII Comitum *κεμισιδέχσιον* aureorum et argenteorum numorum, praesertim Graeciae tantum non omnium prouinciarum, tum seruabat, augebat, et in ordinem redigebat. Ab eo AGNETHLERVS multa propensione, opera, institutione, maclus est

DEFIXVM autem in tanta occupatione, quum vires corporis, ferendo oneri huius pertinaciae non pares, nimis intenderet, et lucubrationibus continuatis plane dederet, truculenta intercessit haemoptysis, infestae phtiseos tristis nuntia. Haec valetudo, in medio laudis tramite decurrentem, nonnihil retinuit, mentis impetum continere non potuit, quae tamquam scintillis quibusdam, quantus in eo ignis delitesceret, indicabat. Ea tamen valetudine efficacitate, vt Ipse, necessitati cedens affecti corporis, consilium caperet ex euentu, et aliud genus studiorum, medicinae discendae et faciendae, amplectendum, decerneret. Theologiae campum prope emensus fuerat, ac plus itineris in eo confecerat, quam bene multi per omnem vitam sibi instituendum proponunt. Itaque nouum hoc stadium, non animi leuitate, non fuga seuerioris virtutis, non profano rerum diuinarum fastidio, sed diuino nutu ingressus est, vt propiorem valetudinis protrahendae spem alere, vt patriae aliquando vtilius inferuire posset

IDO-

MART. SCHMEIZELII *Pract. Numophylacio praemissa,*

pag. V. Idem etiam fit in ipso commentario, passim

AD IDONEVM medicinae delegit ducem, inprimisque acutum praeclarae artis existimatorem, ANDREAM ELIAM nobilem A BÜCHNER, academiae naturae curiosorum Praesidem. Huius auspicio, morborum causas, accessiones et inducias februm, naturae ac sanguinis temperationem, exploravit. Nec minus coluit, et cum in physica experimentalis, cum physiologia, est sectatus, ingeniosum illum philosophiae naturalis interpretem, IOHANNEM GOTTLIB KRÜGERVM, hodie nostratis academiae Professorem, cuius varii labores, et edita pulchrae indolis documenta, meritam nostro Collegae famam circumdederunt

SUB his duumuiris quum minime leues in arte progressus faceret, subinde etiam Ipse morbis difficilibus mederetur; inter haec, longe eximia navitatis documenta dedit, ad Cleanthis quasi lucernam elucubrata, ut vel haec sola postulent hominem exquisite laboriosum, et pleorumque in academiis professorum specimina superent. Nam, anno sexto et quadagesimo saeculi, edidit *Notitiam versionis germanicae Schulzianae, vitarum PLVTARCHI*: rarumque olim in nostris oris opusculum huius indicis, *Medicus Romanus seruus, sexaginta solidis aestimatus*, o) noua veste ornatum, recudi fecit. Anno septimo quadagesimo, quaedam scripta botanica CAROLI LINNAEI, Vpsalensis medici, ut *Systema naturae; Fundamenta botanica; Bibliothecam botanicam; Classes plantarum*

o) Hunc librum, auctore IOHAN. FRID. BOECKELMANO scriptum, etiam recudi curauerat V. Cl. IOH. FRID. IVGLEK, Acad.

equestris Luneburg. hodie Director. Suffixus est ipsius *Audaciorum documentorum, seu Comment. de mundi nat. seruior. ap. Vet. Lips. An. 1741*

tarum, p) in complurium manus dedit, et praefatione instruxit. *Indicem Bibliothecae MARTINI SCHMEIZELII*, nec non eiusdem *Commentarium de Numis aureis et argenteis Transilvaniae*, in publicum emisit, historico anteloquio illustravit. STEPHANI BLANCARDI *Lexicon Medicum q)* recognouit, atque variis accessionibus locupletauit. Sequenti anno, *vindicias* parauit clarissimi IOHANNIS IVNCKERI et FRIDERICI quondam HOFFMANNI, ab impudenti quodam plagio Hardeuicensi, *D. Laurentii Iohannis Nepomuceni Reen*. Non multis deinceps interpositis, *primam partem* descriptionis teutonicae *Numophylacii Schulziani* literis tradidit, refertum doctrina intimiori et nouem Musis caelatum opus. Denique, *Commentationem* scripsit *de Syracusanis Regibus ac Tyrannis, ex numis Graecis*, quae Volumine tertio Accessionum ad praestabile Historiae Vniuersae opus, ab auditorum in Anglia societate adornatum, comparuit

ITA otium AGNETHLERVS collocauit in rebus his, quae praecipuum in vita ornamentum tenent, nec in communi substitit literarum cursu, sed meliori genere incedens, versatus est in doctrinae et virtutis generi

C

opti-

- p) Horum pariter quos oculis v-
surpauimus, ac reliquorum libro-
rum indices, fufius adscribemus
in *Catalogo Scriptorum* AGNETH-
LERI, Num. V. VI. VII. VIII
q) Hoc item lexicon prodiit cum
Praef. GEO. ERN. STAHLII.
(Francof. An. 1705.) vt et, ex e-
dit. IOH. H. SCHVLZII. (Halaе,
An. 1739.) Quum editores lau-

dati, non omnium, quae in hoc
lexico occurrunt, vocabulorum,
quorum suspecta vel dubia *quan-
titas* esse solet, rationem habu-
erint, AGNETHLERVS longe
copiosiore adiecit *Indicem Pro-
sodicum*, et eo nouam editionem
amplificauit. Aliquot paginis con-
stat hic Index, et magnam non-
nullis medicis vtilitatem praestat

optimo, vt praeclara quaeuis ingenio alacri eniteretur. Imbutus autem, per octo annos, intelligentia literarum humaniorum, historiae, antiquitatum, numismaticae, et tot exemplis loquentibus promeritus de republica literaria, tamen academicos honores nondum ullos huc usque petierat. In quo mirari conueniet modestiam Viri, de cunctis reliquis honorifice, de se permodice statuentis. Qui si aliud nihil, praeter macrum philosophicae sphingis compendiolum, gustasset, secundo iam, minimum tertio, anno, superbiam sumisset tantis meritis par tam, nactisque, (quod felix et salutare fuit!) docendi honoribus, declamationes mecastor pulchras, easque cum trepida densae nubis concursatione, aperuisset. Ea enim est cathedrariorum nugipolyloquidum natura, vt, si memoriter recitare possunt vocabula quaedam nonnullarum fictionum, quas vel esse vel non esse sibi et sui similibus persuadent, oculus cum rana Aesopia dirumpantur, nisi, venia praelegendi redempta, Palladem syllogifinis armatam ex Veionium cerebellis suis excludant. r) Longe aliter AGNETHLERVS, cui nihil leue, nihil tritum poterat placere, instituit, dum laudabili annorum octo cunctatione, honores potius mereri, non redimere, et applaudentibus cunctis sibi approbari intendit

IGITVR, sub exitum anni quinquagesimi, supremos hono-

r) Tales *Φιλοσόφως*, IUSTINVS MARTYR, *Apol. I.*, p. 46 nominat *Φιλοσόφως* elegantii acumine, dum *Crescentem* Cynicum reprehendit. De probis falsae philosophiae disserit PLATO, in *Gor-*

gia; e quo verba decerpfit pluscula GELLIVS, *Lib. X.*, cap. 22. Philosophi *Cathedrarii* apud SENECAM occurrunt, de *Breu. Vit. Cap. X*

honores Magisterii profitendi petiit ab ordine philosophico: quos, codicillis in eam rem, more maiorum, editis, impetrauit. Mense Ianuario sequentis anni, medicinae renuntiatus est Doctor in eadem Fridericiana, pulchramque de *Lauro* dissertationem, triumviris honoratis, MICHAELI CZECKELIO DE ROSENFELD, gubernii per Transiluaniam Consiliario intimo, ac Proconsuli Cibi-niensi, nec non ANDREAE ELIAE nobili A BÜCHNER, et CAROLO LINNAEO, Vpfalienfium medico, consecrauit; atque in eam congescit, quidquid de nomine ac speciebus, de figura, viribus, vfu lauri, quidquid de fabulosis, historicis, antiquariis, superstitionis, numismaticis Apollineae Daphnidos, denique de genere et classibus arboris, s) enarrari poterat. Neque reticuit, in multis locis, encomium IOHANNIS GERHARDI VVAGNERI, Helmstädiensis, eximii apud Lubecenses medici, qui ante tria et quod excurrit lustra, comtum de *Lau-ro*, ex omni antiquitate eruta, tersumque librum, t) in hac ipsa ciuitate, eius patria, diuulgauerat. Post nactos

C 2

medi-

s) Praefixa est dissertationi, elegans tabula, aeri incisa, *Apollinam* sistens et *Daphnem* quae in laurum mutatur: sumta ex DOMINICI ROSSI *Collectione statuarum*, (*Raccolta di statue antiche e moderne*) Tab. 51. Fabulam enarrat OVIDIVS, *Metam.* I, 548 seq. Si liceret, ego adii-cerem his, quae AGNETHERVS p. 39 et seq. de superstitionis virtute lauri adduxit, locum ali-

quem THEOPHRASTI, *Charact.* Cap. XVI *περὶ δασιδιουμουλιος*: in quo ille philosophus hominem *superstitiosum* inter alia describit talem, *ὅς τὸ σῶμα λαβὼν, ἔρω τὴν ἡμέραν περιπατῶν, qui lauri folia ore mandens, totum sic diem ambulet*.
 t) *Arboreti sacri perfectioris specimen, sistens laurum, ex omni antiquitate erutam*. Prodiit Helmstädii, An. 1732. 8

medicinae honores, in academiam quoque naturae curiosorum Sodalis receptus est

TEMPORIS vero tanta parsimonia apud Nostratem extitit, vt cum DEMOSTHENE doleret, si quando a fabro vicino occuparetur ante lucem. Itaque nouo statim implicitus labore, emisit *secundam partem* descriptionis germanicae *Numophylacii* supra laudati: quae, vtut vario genere notationum ac numis decorata, priorem partem supra dimidiatum excedit, tamen in prooemio illius, moram, cuius impatiens erat vt maxime, excusauit. Eam operam excepit *Enarratio, de rarioribus numis thesauri Schulziani*. Denique *Indicis* (quem edidit,) *Bibliothecae, res Hungariae, Transilvaniae, et vicinarum Prouinciarum illustrantis*, haec est ratio: u) Centum sunt prope volumina, quae ex MARTINI SCHMEIZELII bibliotheca in Nostratis forulos transierant, totidem aliis, praecipue manu scriptis codicibus, aucta. Haec a Senatu Cibiniensi redempta, et deuecta in Transiluaniam, hodie apparatusi librarii gymnasii metropoleos ornamento sunt

ERGO, quum ingenii et doctrinae famam late spargeret, non potuit non ea virtus insigni praemio digna iudicari. Quare deliberato euenit consilio, vt Serenissimus Princeps noster, CAROLVS, qui amore paterno ducitur in promouenda huius academiae felicitate, Virum, his industriae ac literarum monumentis clarum, professione ornaret eloquentiae, antiquitatum, et poëseos ordinaria, ac tanta munificentia a proposito redeundi ad lares Cibinieneses auocaret. Hanc prouinciam, exeunte Octobri

u) Conf. laudati Indicis Pag. 47, Num. XXXVI

Etobri anni superioris adiit, quum interim dies, noctes, vigiliis, labore, studio incredibili fregisset, vt *tertiam*, et *quartam partem Numophylacii* absoluere, delineatisque Caesarum Augustorum numis, a *Traiano Decio* inde vsque ad *Iustinianum*, vt et aliis cum mediae tum nouioris aetatis solidis, de omni literatura bene mereri, potuerit

SED, heu, delusae spes nostrae. Heu, AGNETHLERVS, quem diutissime rebus nostris interesse, erat nemo, quin vehementer optaret, is ille noster, heu, subito totus iacet. Quum enim Vir mitis ac placidus, (nam agnouimus sub primo obtutu mores, artibus emollitos,) is quum intrasset hoc domicilium Musarum, vidimus, simul doluimus, *ἐμψυχον* cum eo *τάφον*, *) *sepulcrum* quasi *uiuum* aduentasse. Adscribitur quidem consilio Professorum, et iubetur in classe philosophica locum seruare, et aperit quidem scholis publicis *Introductionem in omne genus antiquitates*. At illa sicca et infesta tussis, tum eiectio cruoris cum lenta feбри, nostrum optimum AGNETHLERVM quotidie consumunt, vt Kalendis Ianuariis huius anni tabulas testamenti conderet, et refectus sanctissimo epule, postquam Summo cum Numine in gratiam redierat,

C 3

inter

*) Me non fugit, istam loquutionem *Gorgiae Leontini* reprehendi a DIONYS. LONGINO, de *Subl. sect. III, p. 12*. Sed iam monuit ZACH. PEARCE, si in ea *Gorgias* peccasset, verendum esse, ne et alii scriptores clari peccauerint, prope simili loquutione vtentes. LONGINVS itaque nimum *αγαθός* non probasset enco-

mium, quod ipsi impostum fuit ab EVNATIO, dum *vita Porykyr. ἐμψυχος ἐκ τὰς ἀρχαίων καὶ ἀειμαρτῶν μαρτύρων*, *viua quaedam bibliotheca, et museum ambulans* nominatur. Sed salua res est. Ita enim loqui solere praestantissimum quemque auctorem, permultis ostendam locis, in *Notis ad EVNAPIVM Sardinium*

inter ardentis preces Plurimum Reuerendi Viri, ASCA-
NII CHRISTOPHORI MEELBAVM, ad aedem Step-
haniam Archidiaconi merentissimi, placide expiraret. Ob-
iit ante quintum decimum diem Ianuarii, sub vesperam,
hora quarta. In crypta academici, templi, *Portae Caeli*,
honorifice tumulatus est

REFERAMVS autem historiam morbi, etiam verbis
experientissimi viri, IOHANNIS GOTTLIB KRÜGERI
nostratis, qui discipulum olim suum, tum collegam, le-
Et o affixum, inuisit. *[Videtur origo morbi, cum quo con-*
fluxit vir beatæ memoriæ, AGNETHLERVS, ab ipsis e-
ius parentibus repetenda esse. Pater enim phthisi pulmo-
nali mature decessit, et nosser, in flore iuuentutis consti-
tutus, iam hæmoptoen passus est, tristem et solitam infe-
sti huius morbi prænunciam. Connalescere quidem interd-
um visus est, sed nunquam perfecte conualuit, et, qui
obmutuisse videbatur hostis, siluit tantum, ut noua cru-
delitate repetitis insultibus illum aggrediretur. Excipiebat
enim hæmoptoen, pulmonum exulceratio, et tussis vehe-
mentia ac siccitas molesta, quam sequebatur materiæ pu-
rulentæ cum cruore commixtæ frequens reiectio; hanc co-
mitabatur corporis paulatina consumptio cum febris lenta
coniuncta; vno verbo, phthisis pulmonalis. Ita sentiens
vires in dies decrescere, conseruato tamen mentis robore,
visus videbatur morientis proprii corporis spectator. Me-
dicus erat. Conspicere itaque e longinquo poterat sum-
mmum vitæ periculum, et ensẽ capiti imminentem. In-
terim, quantum equidem scio, a nullo medicorum auxilium
petiit vel consilium, qui sui ipsius medicus esse decreuerat,
dulci valetudinis, si non perfecte recuperandæ, vitæ ta-
men protrahendæ, spe fretus. Multa eum in finem, ea-
que

que efficacissima adhibuit remedia, donec funesta superueniente diarrhoea, et sudoribus colliquatiuis copiosissimis, morbi vis omnem medicamentorum eluderet efficaciam, ac summa, quae concipi potest, virium prostratio, mortem instantem annuntiaret. Appropinquabat etiam, sed lento progrediebatur pede dirus hostis, erepturus nouum academiae ornamentum et spem literarum.]

NEC facile dictum est, quam praestans, dulce, nomen amiserimus: quam laudis plenum academiae decus perdidimus. Quo maiori enim contentione hodie procax impudens sophistarum familia, deterior pristina, quaerit, qui literas, AGNETHLERI condimenta, docent, illos extrudere, eo hi selectiore in numero et aestimatione sunt collocandi. Proinde, quamuis Vir integerrimus, in ipso conatu rerum apud nos suscipiendarum, repente decessit, nec vllum huic academiae monumentum, quam desiderium sui, dereliquit, y) viuet tamen in nostris animis

con-

y) Iteratis vicibus iussi sumus verba adscribere maxime reuerendi CHRISTIANI ROTH, theologi apud Cibinienses clarissimi; quem quanti fecerit b. AGNETHLERVS, e variis Numophylacii locis manifestum est. Ille, sub finem sciagraphiae, in qua familia Nostratis, et alia quaedam adiuncta continentur, submissas gratias agit Serenissimo CAROLO, nostro Optimo Duci ac Patri patriae, pro beneficiis, suo cognato exhibitis, praecipue quod hic fati interceptus,

inferuire non potuit muneri suo. Denique quod palmarium est, (ita pergit vir religiosus ac pius,) praedicanda est illa cumulatissima clementia ac liberaltas, qua Serenissimus Princeps, CAROLVS, Dux Brunsvicensis et Lunenburgensis, sanctioris religionis egyptus, rei que publicae literariae meritior statorque, AGNETHLERVM effusissime ornare est dignatus. Pro quo singulari beneficio, nullis meritis prouocato, nullisque seruitiis, prohibentibus fati, compensato, triga sororum Nostrae, quin

continuata reminiscentia, et, in documentis ingenii, ante laudatis, aetatem certe laturis, superabit. Quamobrem maxime optandum esset, vt existat alius aliquis Apelles, qui pulchro capiti Helenae, *Numophylacii* latini, subiiciat reliqua membra, venuste quod nobis innotuit iam elaborata. Certe alteram partem *Numophylacii*, commentario illustratam, absoluit, *vitam ac promerita Possessoris* comte delineauit. Collegit item *minora opuscula IOHANNIS HENRICI SCHVLZII*, quae, descripta in septem partes, constituerat Erfurti emittere, vna cum *Isagogae* eiusdem *in scientiam numismaticam*. Commentarius denique ad *Inscriptionem Arabicam, pallio Imperiali, Pluuiale dicto, intextam*, plane confectus est. Hunc, Augusto Principi Caesareo, IOSEPHO BENEDICTO AVGVSTO, Archiduci Austriae, dedicare, in animum induxerat

HVIC Viro, dignus successor est datus, numine Principis nostri sapientissimi, V. C. IOHANNES CHRISTIANVS VVERNSDORFIVS, Vitembergensis. Qui, ex magno olim parente, theologo, et literarum bonarum maxime perito, ad non parua nec dissimilia natus, vos, *Ciues*, AGNETHLERIO loco, (quod Ille, fati interceptus,

cognati et agnati, hoc ipso in tanto moerore erecti, Serenissimo Munificentissimoque Principi, alio teftandae gratitudinis medio destituti, submissas, quas mente concipere possunt, easque immortales publice referunt gratias; Suae Serenitati aequae ac vniuersae Celsissimae Domui Ducali, aeternum

bene, aeternum optime, precantur. (In sequentibus adiicit optima vota pro academiae nostrae, et eorum felicitate, qui in illa docemus. Nos igitur honestissimo viro, diuinam cuncti generis gratiam, et auxilium ad omnia sancta ac pia quae suscipit, sincere apprecamur)

ptus, efficere non potuit,) studiose hortabitur, tramitem
 rectae laudis, cum addiscendo literas humanitatis, tum
 debellando qui has spernere et conculcare nituntur, in-
 sistere: vt aliquando vestra nomina, non chartis Volufi-
 is, non cyclicis aliis nugamentis, sed verae eruditioni,
 ex humanioribus literis, graecis, latinis, vnice oriundae,
 et, AGNETHLERI inde exemplo, perpetuitati, con-
 fecteris

P. P. HELMSTADII IN ACAD. IVL. CAROLIN
 PRIDIE KALENDAS SEPTEMBRES
 A. I. S. MDCCLII

INDEX LIBRORVM

A
 D. MICH. GOTTLIEB AGNETHLERO

EDITORVM

- I. Bibliotheca b. IOH. HENR. SCHVLZII, cum praefatione
Sigism. Iac. Baumgarten. Halae, 1745. 8
- II. Numophylacium *Schulzianum.* Digessit, descripsit, et per-
 petuis insigniorum rei numariae scriptorum commen-
 tariis illustratum, edidit MICH. GOTTL. AGNETHLER,
 Transiluanus. Pars Prior. Accedunt selectiores clarorum
 D viro-

virorum ad b. SCHVLZIVM epistolae. Lipsiae et Halae, 1746. 4. c. f. aen (*)

(*) *Dedicatus est liber Proceribus Reip. Cibirienfis: Ecclesiae Metropolit. Amistiti et Ministris: nec non memoriae I. H. SCHVLZII Praefixa est praefatio MART. SCHMEIZELII. (2 Alph. 9 plag)*

III. Nachricht von des sel. Herrn Prof. SCHVLZENS deutschen Vberfetzung PLVTARCHS Lebensbeschreibungen berühmter Männer. Halae, 1746. 4

III. Medicus Romanus feruus, sexaginta solidis aestimatus, ex editione M. G. Agnetbleri. Halae, 1746. 8 (*)

(*) *Titulo praefixum est Lugduni Bataurorum, 1671. Sed in fine adscriptum: Recusum 1746, paucis exemplis. in usum societatis, quae impensas contulit. Inscriptum est opusculum IACOBO SCHVN- NIO, Transilvano, Medicinae Doctori*

V. CAROLI LINNAEI Systema Naturae. Recusum, et societatis, quae impensas contulit, vsui accommodatum, curante M. G. Agnetblero, Saxone Transilvano. Edit. altera, auctior et emendatior. Halae 1747. 8 mai. (Plagul. 6)

VI. EIVSDEM Fundamenta Botanica, in quibus theoria botanices aphoristice traditur. Accedunt D. IOH. GESNERI Dissertationes Physicae, in quibus LINNAEI *Elementa Botanica* dilucide explicantur. Ex editione, et cum praefatione M. G. Agnetbleri, Transilvani. Halae apud Ioh. Gottlieb Bieruuirth, 1747. 8 mai (Plag. 4)

VII. EIVSDEM Bibliotheca Botanica: Fundamentorum Botanicorum Pars I. Editio noua, multo correctior, opera Agnetbleri. Halae, apud Bieruuirth. 1747. 8 mai. (Plag. 9)

VIII. EIVSDEM Classes Plantarum: Fundamentorum Botanicorum Pars II, curante Agnetbl. Ibid. eod. 8 mai (Alph. I)
(*) AG-

(*) AGNETHLERVM *utriusque Partis editorem esse, patet ex Praefatione ipsius, Fundamenti Botanici, Num. VI adductis, praemissa*

VIII. Bibliotheca b. MARTINI SCHMEIZELII. Accedit antiquorum et recentiorum quorundam Numismatum descriptio: curante *M. G. Agneblero*. Halae, 1748. 8

X. MART. SCHMEIZELS Erleuterung Gold und Silberner Münzen von Siebenbürgen. Herausgegeben, und mit einer Vorrede begleitet von *M. G. Agnebler*. Halle, 1748. *mit Kupfertafeln*

XI. STEPHANI BLANCARDI Lexicon Medicum, denuo recognitum, variisque accessionibus locupletatum, curante *M. G. Agneblero*, Saxone Transilvano. Praefationem praemisit ANDREAS ELIAS BVCHNER. Halae, 1748. 8

XII. *Laur. Iob. Nepomucenus Reen*, Gesenaco VVestphalus, Medic. D. plagii literarii in regiae Fridericianae Parnasso grauius accusatus, conuictus, atque Halensium Musarum decreto condemnatus. Interprete MICH. GOTTL. AGNETHLERO, Saxone Transilvano. Halae, 1749, 4. (6 $\frac{1}{2}$ Plag)

XIII. Beschreibung des *Schulzisehen* Münzkabinet. Erster Theil. Entworfen, vnd mit kurzen Anmerkungen begleitet von MICH. GOTTL. AGNETHLER. Halle, bey *Iob. Iustin. Gebauer*. 1750. 4 (*)

(*) *Inscriptus est liber Viro Ill. MATTHIAE DE BECKERS, S. Caes. et Reg. Vngar. Mai. Secretario Intimo Transilvaniae.* (Plag. 15)

XIII. MICH. GOTTL. AGNETHLERS Syracusanische Könige und Tyrannen aus Griechischen Münzen: zum *sechsten*

XXVIII

sten Theil der Allgemeinen Welt Historie. Halle. 1750. 4. mit Kupferstichen (*)

(*) *Inferta est haec commentatio, Parti III der Sammlung von Erleuterungs-Schriften und Zusatzen zur Allgem. VWelt Hist. a Pag. 273 vsque ad Pag. 398*

XV. EIVSDEM Schreiben an Herr D. Baumgarten, in welchem der feel. Prof. Schulze gegen vngegründete Auslagen des berühmten Kanzlers von Ludenuig vertheidiget vviird. Halle, 1750. 4 (*)

(*) *Conf. Praefationem Teutonic. b. AGNETHLERI, ad Part. II Numophylacii, pag. 15 seq*

XVI. Differtatio sollemnis de Lauro. Pro obtinenda doctrinae salutaris laurea a. d. xxxi Ianuar. 1751 defendit MICH. GOTTLIEB AGNETHLER, Eques Transiluanus, Philos. Magister. Halae propter Salam, ex officina Gebaueriana. 1751. 4. (Plag. 9) (*)

(*) *Prodiit etiam sub titulo: M. G. AGNETHLERI, Equ. Transilu. Phil. et Med. D. Commentatio de Lauro. Omiffae sunt Dedicaciones: vt et Epistolae Gratulatoriae S. R. BAYMGARTENII, Ill. BVCHNERI, Cl. IOH. IOACH. LANGII, et Amicorum*

XVII. Commentatio de rarioribus thesauri Schulziani numis, Halae, 1751. 4

XVIII. Beschreibung des Schulzischen Münzkabinet. Zueweiter Theil. Entuuerfen, vnd mit kurzen Anmerkungen begleitet von M. G. AGNETHLER, der VVeltueifheit und Arzneigel. Doctor, auch Mitglied der Röm. Kaiserl. Acad. der Naturforscher. (*) c. Tabb. aen

(*) *Praefixa est Praefatio vberior: in cuius fine docemur, librum absolutum esse d. 24 Auguß. An. 1751, quamuis in titulo ponitur An. 1752. (Constat i Alph. 13 Plag)*

XVIII.

XVIII. Index bibliothecae, res Hungariae, Transilvaniae, vicinarumque prouinciarum illustrantis, quam *Martinus Schmeißel* instruxit. MICH. GOTTL. AGNETHLER, Phil. et Med. D. Codd. praecipue MSSis auxit: nuper autem munificentia magnifici Transiluanorum metropolitanae vrbis Senatus Cibiniensium bibliothecae publicae consecrauit. Halae, ex officina *Kittleriana*, 1751. 8

XX. Beschreibung des *Schulzischen* Münzkabinet. Dritter Theil. Entuorfen, und mit *etc.* von M. G. AGNETHLER, bestimmten ordentlichen Lehrers der Iulius Carls Vniuersität, Halle, 1751. 4. (Plag. 21)

XXI. Beschreibung des *Schulzischen* Münzkabinet. Vierter Theil. Entuorfen, *etc.* von M. G. AGNETHLER, *beruffenem* Profess. der Beredsamkeit, Alterthümer vnd Poësie auf der Iulius - Carls Vniuersf. *cer.* Halle, 1751. 4. (Plag. 7)

I N D E X

LIBRORVM NONDVM EDITORVM

I. IOH. HENR. SCHVLZII Ifagoge in rem numismaticam

II. EIVSDEM Sylloge opusculorum minorum (*)

(*) In Tabulis Testamenti ita scripserat Vir b.m. "*Vnter meinem unedirten Schriften gehören auch SCHVLZII OPUSCULA MINORA. Auf Veranlassung eines Erfurtischen Buchführers, VVerber, habe sie recht mühsam gesamlet, und alles zum Druck fertig gemacht. Es sollten VII Theile vverden, vvenn der Verleger VVort gehalten hätte. SCHVLZENS MVNZ COLLEGIUM vvollte bald ediren: ingleichen BIBLIOTHECAM HVNGARICAM,*"

III. Commentarius ad Arabicam Inscriptionem, pallio Imperiali, *Pluviale* dicto, ante sexcentos et vndeuginti annos, filis aureis intextam. Augustiss. Principi IOSEPHO BENEDICTO AVGVSTO, Archiduci Austriae, consecrat MICH. GOTTL. AGNETHLER. C. Tab. aen (*)

(*) *In Ind. Bibl. Rev. Hungar. Schmeizelio-Agnetbler. Pag. XXXI, No. XXXII, hic liber inter editos refertur, adiciturque Halae, 1751. Quod tamen secus est. Adde Vorbericht zum II Theil der Beschreder Schulz. Münzkab. pag. 16: nec non S. R. BAVMGART. Epistolam Gratulatoriam Dissertationi de Lauro suffixam*

III. Numophylacium *Schulzianum*. Digestit, descripsit; et perpetuis insigniorum rei numariae scriptorum commentariis illustratum, edidit MICH. GOTTL. AGNETHLER. Pars Posterior (*)

(*) Ipse B. Vir, *in Ind. Bibl. Rev. Hung. Schmeiz-Agnetbl.*, de hoc libro ita scribit: "*Operis, Numophylacii Schulziani, Pars altera, pridem matura, propitiam expectat Lucinam.*" Ceterum, in hac parte, *vltta b. SCHVLZII* vberius est descripta

HELMSTADII

EXCVDEBAT PAVLL. DIET. SCHNORR

La 140 Bk.

702



ULB Halle

3


003 131 084



V318







QR. 524, 65.

B. m.

Za
140

D O M S
ET AETERNAE MEMORIAE
VIRI
GENEROSI DOCTISSIMI QVE
**MICHAELIS GOTTLIEB
AGNETHLER**
NOBILIS TRANSILV' PATRIC' CIBIN
PHILOS' ET MEDIC' DOCTORIS
ELOQVENTIAE LATINAE ANTIQVITATVM
ATQVE POES' PROF' PVBL' ORDINARI
ACAD' IMPER' NAT' CVRIOS
SODALIS
QVI
ANTE DIEM XV IANVAR' A' I' S' MDCCLII
PIENTISSIME OBDORMIVIT
†
A C A D E M I A
I V L I A C A R O L I N A
DESIDERATIS' CARO DOCTORI
S V O
H M F C
A V C T
IOH' BENEDICT' CARPZOVIO
DOCT' ET PROF' THEOLOGO AC SVI
ORDINIS H' T' DECANO

BIBLIOTHECA
POMICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)